

& in reliquo, duobus enim punctis ab a, sectione parui circuli & eclipticæ decimæ sphaeræ æqualiter distantibus idem vnūq; segmentū a i, seu eadē diuersitas apparētis æq̄lisq; mot⁹ fixorū siderum competit. Tales namq; duo puncti in eodem sunt magno circulo per polos eclipticæ decimæ sphaeræ transeunte, huius namq; magni circuli & circuli parui plana ad eclipticæ decimæ sphaeræ planum sunt erecta, necesse igitur est, talem magnū orbem qui per polos eclipticæ decimæ sphaeræ transit, dispescere parū circulū in duobus punctis qui ab vtraq; duarum sectionū parui circuli & eclipticæ decimæ sphaeræ æqualiter distent. Hæc tabula deniq; tales diuersitates æqualis diuersiq; motus fixorum siderum complectens hac constructa est ratione, vt a dextris & sinistris gradus signorum habeat a sinistris quidem ab vno vsq; in xxx, descendentes, a dextris autem ab vno vsq; ad xxx, gradus ascendentes, atq; inter eosdem gradus sex existunt columnæ quæ tales complectuntur diuersitates, atq; a fronte & pede earundem columnarū scribuntur signa completa trepidationis primæ velut id in eadem tabula hic subiecta intueri licet.